

ritus bonus ab eo recesserit, illumque recedentem confestim exceperit Spiritus malus, qui optatum tunc invenit domicilium. Quod autem demum eo tempore, quo in Regem unctus est à Samuele David, Diabolicae operationes manifestè se prodiderint, id Deo ita dirigente contigit, nec Satanæ infreqvens est, ut suam Tyrannidem aliquandiu dissimulet. *Saul* (verba affero *Job. Brentii Homil. LVII. p. 579.*) statim ut verbum Domini incredulitate & inobedentiâ abiecit, factus est Satanæ mancipium, & invasit eum Spiritus malus, attamen hic Spiritus non statim furore suo sese revelavit. Etenim, quemadmodum de Judâ proditore Domini scriptum est, quod post offulam ingressus est in eum Satanæ, non, quod tunc primùm Spiritu Satanæ comprehenderetur, nam & antea à Satanâ exagitabatur, quando loculum Christi furacibus manibus expilabat, & cum Pontificibus de pecuniâ proditiōis paciscebatur, sed quod acceptâ offulâ confirmata sit Tyrannis---- Ita Saulem non nunc primùm, postquam David in Regem unctus est, Satan invadit, sed quem Satan antea occupaverat, eum nunc manifestis furoribus exagitare & turbare incipit.

PORISMATA EX CAPITE PRIMO.

PORISMA I.

Datur omninò Spiritus Sanctus, isq; & verus DEUS existens, & propriam habens bypostasin.

Hanc de Spiritu S. doctrinam ex iis esse, quas præ reliquis valdè impugnârunt Hæretici, & monumentis Historiæ Ecclesiasticæ abundè constat. Equidem felicia erant illa tempora, ubi nondum mota fuerat *Questio de Spiritu S.* sed ad huc credentium mentibus sensus ac nullis insidiis subjectus inerat de Spiritu S. intellectus, ut cum *Basilio Epist. LXXVIII.* loquar. At postquam relicta est pia hæc & fidelis simplicitas,

citas,